

ADDITAMENTA

AD

LITERATURAE ROMANAE HISTORIAM.



SCRIPSIT

DR. IULIUS HELD

RECTOR GYMNASII SUIDNICENSIS.



SUIDNICII.

TYPIS LUDOVICI HEEGII.

1839.

1

Triplici laude digni sunt Romani, bellica, civili, literaria. Bellis fortiter gestis nacti sunt nomen ac dignitatem populi: inventis consentaneis rerum administrandarum formis civitatis egregie constitutae simulacrum proposuerunt: literarum vero artiumque non conservatores solum, sed inventores etiam et perfectores extiterunt. Ultimo quidem nomine quanquam ab alia gente longe superati sunt, tamen posteri, si quidem iusti esse volunt, Latio concedent nullum melius fugientibus ex Graecia iam marcescente musis receptaculum recludere potuisse fatum illumque amorem, quo homines aut forensibus occupati negotiis aut dediti agriculturae aut Martis laboribus indurati dulces illas advenas sint amplexi, grato suspicient animo. Ac profecto, quoties colligo apud animum ea, quae obversabantur menti legentis nuper epistolas Plinii iunioris, A. Gellii Atticarum noctium libros et Tranquilli Suetonii vitas imperatorum, facere equidem non possum, quin trium fere saeculorum spatium summo quasi literarum lumine illustratum fuisse censeam. A Quinto inde Ennio i. e. ab eo tempore, quo literarum studia colere coeperunt Romani, tantus fuit clarorum ingeniorum proventus tantumque eorum certamen, ut, a qua gente memoriae antiquae par studium sit proditum, plane nesciam: cuiusvis ordinis homines operabantur Musis, imperatores, duces, privati, non poetico quodam correpti furore, cuius rei simile quoddam ante haec duo saecula maiores nostri viderunt, cum iuvenes senesque pedites et equites in via, quam dextrum Martini Opitii ostenderat ingenium, grassari coepissent, nec fabularum Romanensium scribendarum cupiditate inducti, qualem insanum paene fervorem sentiri hodie licet maribus feminisque certatim somnia plerumque monstrosa fingentibus, sed in graviorum disciplinarum tractationem, inprimis historicarum incumbentes ita, ut, quae seriis dulcia admiscerent, ea haud negligerent.

Plerasque earum notitiarum, quae ad historiam literaturae, quam dicunt, pertinentes in operibus laudatorum scriptorum reperiuntur, excerptas et in libros, in quibus de re literaria Romanorum agitur, insertas esse negari nequit. Gerardus Vossius, P. Crinitus, L. G. Gyraldus, A. Fabricius, G. Harlesius, F. Schoellius, quae ipsis historiam literarum Romanarum illustrare viderentur, ea aut colligere aut componere summopere studuerunt eorumque studia egregie profuerunt J. C. F. Baehrio in con-

denda historia literaturae Romanae. [1]) At ferre videtur literarum philologicarum ratio, ut in quovis quaestionum genere ii, qui ultimi se accinxerint ad indagandum, semper fere aut novi aliquid inveniant aut, quod impertitis rectius esse videatur. Certe equidem in legendis vitis Caesarum a Suetonio scriptis in nonnulla ad historiam literarum Romanarum pertinentia incidisse mihi videor, quae partim nova, partim a vero minus aberrantia iis, quae iam publicata sunt a laudatis viris, adduci posse putaverim. Poterant sane ea, quae apud Suetonium leguntur, facili negotio a Baehrio afferri, cum Augusti Krausii libellus de illius scriptoris fontibus et auctoritate iam prodiisset: [2]) neque negaverim quod attineat ad summam rei propositae satisfecisse fere Krausium. Accuratum enim idem exhibuit indicium eorum operum, quibus Suetonius in scribendis vitis est usus disseruitque non indocte de auctoribus ipsis. Itaque ipse ea tantum constitui proferre in medium, quae aut fugerunt diligentiam Krausii aut consulto tamquam minus contingentia quaestionem propositam omissa aut parum recte diiudicata visa sunt. In primis Caesarum ipsorum ab Octaviano inde studia (Julium Caesarem, cuius ingenium, doctrinam et scripta editores et interpretes operum eius copiose recensuerint, non tetigi) quae testentur, referre in animo est: addentur relationes de singulis nonnullis scriptoribus minore quam par erat cura ad hoc tempus habitis.

Imperatorem egregium fuisse Augustum ex Romanis ipsis ne ii quidem videntur redarguere potuisse, qui teste Tacito Annalium initio [3]) contra eius laudes dixere non refutatis hisce praedicantium verbis ab eodem scriptore laudatis „mari Oceano aut amnibus longinquis septum imperium: legiones, provincias, classes, cuncta inter se connexa: ius apud cives, modestiam apud socios: urbem ipsam magnifico ornatu.“ Longam sane vitam longumque imperium fatum ei concessit, adeo ut res magnae perfici possent: illud autem maxima extolles laude, quod tempus atque operam ordinandis et sublevandis civitatis turbatae et exhaustae rebus quam religiosissime impenderit haud securus de paranda illa felicitate, quae cernitur in promota ingeniorum cultura morumque correctione. Reliquerat quidem exemplum illustre [4]) Divus Julius, verum non imitandi solum haud inhonestum studium, sed insitus etiam literarum amor Octavianum, Musarum ut susciperet tutelam, videtur adegisse. Fovit, refert Suetonius,

---

1.) Geschichte der römischen Literatur von Dr. Johann Christ. Felix Baehr. Zweite Ausgabe. Carlsruhe. 1832.

2.) De. C. Suetonii Tranquilli fontibus et auctoritate scripsit Augustus Krause. Berolini 1831.

3.) Libr. I. Cap. 9 et 10.

4.) Suet. in vit. Caes. c. 42. „Omnes — liberalium artium doctores, quo libentius et ipsi urbem incolerent et caeteri appeterent, civitate donavit.“

ingenia seculi sui omnibus modis. Nec defuisse sat scimus, qui splendida summae eruditionis fama collustrarent imperatoris aulam. Clarescunt Horatii, Maronis, Varii, Pollionis nomina. Largam vero Caesaris manum complures esse expertos e Suetonii verbis facile colligas docetque P. Virgilii vita. At non sufficit semper regum studium sublevandi tenuem hominum ingeniosorum sortem, offendens interdum, quando cum superbia coniunctum est. Cupiunt illi reges ipsos quodammodo philosophantes i. e. studiorum fere participes. Et talem veri ac pulchri sensum prodidisse censere possumus Caesarem Augustum, quippe qui teste Suetonio recitantes viros doctos et benigne et patienter audiverit, nec tantum carmina et historias, sed et orationes et dialogos. Elucet autem ex hoc indicio, *recitationes carminum et historiarum iam tum fuisse omnium maxime expetitas: minus commodas orationum et dialogorum,* in quibus agi solitum fuisse de rhetoricis et philosophicis constat.

Verum non fovit tantum viros Mercuriales Octavianus: ipse etiam ad literarum studia incubuit. [5.]) Eloquentiam ab prima aetate laboriosissime exercuit, id quod mirationem iniicere nequeat, cum dicendi arte, qui valere in civitate cuperent, carere omnino non possent. Bello Mutinensi quotidie declamasse traditur studiumque maximum vel ex eo cognoveris, quod neque in senatu neque apud populum neque apud milites locutus est unquam, nisi *meditata* et *composita* oratione, quamvis non destitueretur ad subita extemporali facultate. In pronuntiando naturae benignitate adiutus est, quippe quae sonum oris dulcem ei non negaverit. [6.])

Poeticam testante Suetonio summatim i. e. obiter attigit. Extitit Tranquilli temporibus liber ab eo scriptus hexametris versibus, cuius et argumentum et titulus fuit *Sicilia.* Bachrius huius libri nullam fecit mentionem. Ad Suetonii verba Is. Casaubonus haec adnotavit „non aliud colligas quam fuisse id carmen descriptionem Siciliae et eorum, quae habet miraculosa, qualis Aetna est inprimis, solennis omnibus locus. Tamen ut addubitem, facit Senecae epistola 79. Non enim videtur in eo sermone de hoc poemate Augusti fuisse taciturus.“

5.) Vit. Octav. Cap. 84.

6.) Provectioris demum aetatis et negotiorum multitudine distractus videtur, ne periculum memoriae adiret aut in ediscendo tempus absumeret, constituisse recitare omnia. Refert hoc Tranquillus c. 84 vit. Octav. Quae tamen idem adiicit, ea mirabilia videri possunt. „Sermones quoque, ait ille, cum singulis etiam cum Livia sua graviores, nonnisi scriptos et e libello habebat, ne plus minusve loqueretur ex tempore. Omitto, quod interdum cum amicis sermones de scripto habuit Caesar: hoc non excusari tantum potest, sed laudari etiam aliquatenus: verum cum Livia sua mea quidem opinione rectius egisset plus minusve confabulando quam restrictam illam ac tristem exercendo eloquentiam. Narrat praeterea Suetonius Octavianum adsidue phonasco operam dedisse, sed nonnunquam infirmatis faucibus praeconis voce ad populum concionatum esse.

Mirum sane videri potest silentium Senecae; nec tamen desunt quibus excusetur. Hunc autem in modum philosophus ad Lucilium scribit: „Reservemus ista, tunc quaesituri, cum tu mihi scripseris, quantum ab ipso ore montis nives absint, quas ne aestas quidem solvit: adeo tutae sunt ab igne vicino. Non est autem, quod istam curam imputes mihi: morbo enim tuo (i. e. titillationi tuae poeticae) daturus eras, etiamsi nemo mandaret tibi. *Ideo fac* Aetnam describas in tuo carmine et hunc solennem omnibus poetis locum attingas, quem quominus Ovidius tractaret, nihil obstitit, quod iam Virgilius impleverat: ne Severum quidem Cornelium uterque deterruit. Omnibus praeterea feliciter hic locus se dedit: et qui praecesserant, non praeripuisse mihi videntur quae dici poterant, sed aperuisse.“ Priusquam ad excusandum silentium progrediar, mutatae scripturae ratio reddenda mihi est. A Senecae scilicet manu verba *ideo fac* fortasse profecta sunt, cuius orationi casu quodam maculam inspersam puto. Vulgaris enim lectio haec est: morbo enim tuo daturus eras, etiam si nemo mandaret tibi, donec Aetnam describas etc., quam mutandam esse censuit iam Fred. Gronovius in „etiamsi nemo mandaret. Quid tibi do ne Aetnam describas etc. Recte quidem vidit Gronovius scripturam vulgarem falsam esse, cum verba, *donec describas Aetnam* apte coniungi nequeant cum verbis praegressis morbo daturus eras.“ At ipsa emendatio a viro magno proposita habet aliquid frigidi. Exhortationi locum libentius concesserim, quam quae sequuntur de poetis, qui idem tractaverint argumentum, testimonia, fortasse etiam verba, quae inferius leguntur: „Aut ego te non novi aut Aetna tibi salivam movet,“ nec minus quod morbi praecessit indicium valde commendare videntur. Hac de caussa proponere ausus sum emendationem supra iam exhibitam. Mutatio non adeo difficilis est: *tibi donec* potuisse vitio exoriri ex verbis *tibi ideo fac* crediderim. Iam vero, quod Octaviani carminis nulla iniecta est mentio, id pluribus de caussis factum videri potest. Aut enim Caesar in memoriam belli siculi fata praecipue, quae obvenerunt insulae, i. e.bella adversus Carthaginienses, adversus Romanos gesta descripsit, ita ut illustrandis locorum miraculis atque amoenitatibus si non prorsus supersedere at certe minorem tantum navare posset operam, aut omnino, historiam si non tractaverit, cum *haud grandem* [7]) emiserit libellum, miracula et amoenitates illas percensuit ita, ut nulli peculiarem curam impenderet. Itaque silere de opere maluisse putaverim Senecam, quam Lucilio erudito Caesaris carmen tanquam exemplar ante oculos ponere. Accedit, quod Seneca Virgilium, Ovidium, [8]) Cornelium Severum, clara sane in-

7.) Modicum fuisse libellum ex Suetonii testimonio de Epigrammatum libro apparet.

8.) Constat carmen illud, cui Aetnae nomen inscriptum est, in libris manuscriptis plerumque Virgilio attribui; at immerito Virgilium eius auctorem haberi Caesar Scaligerus vidit. Cogitarunt itaque nonnulli de Quintilio Varo, alii de Claudiano, alii de Manilio ut parente. Postea Cornelium Severum Josephus Scaligerus tanquam auctorem commendavit: cuius opinione refutata Lucilium Juniorem, eum ipsum, ad quem Senecae epistola 79 scripta est, Wernsdorfius

genia, praedicat. Fortasse Octaviani poëma innuit idem verbis „Omnibus poetis“ et „omnibus praeterea feliciter hic locus se dedit.“

Fuit praeterea in manibus Suetonii modicus *Epigrammatum* liber ab Octaviano scriptorum. Non mirabere eum hoc poesis genus attigisse. Vix enim aliud commemoraveris, quod magis in deliciis habuerint Romani. Gravissimos et sanctissimos viros lepidos facere versus solitos esse legimus, in his M. Tullium, Pomponium Atticum, Cilnium Maecenatem, Asinium Pollionem, Cornelium Nepotem, C. Licinium Calvum. [9.]) Dolendum sane est [10.]) periisse librum epigrammatum ab Augusto scriptorum, quae non solum ingeniose. sed etiam ita composita fuisse crediderim, ut ex iis nonnulla illorum temporum historiam contingentia desumi potuerint. Etenim sex illi versus, quos [11.]) Martialis servavit, documento sunt Octavianum in perstringendo Antonio eiusque uxore multum fuisse permittuntque coniecturam ut Antonium Fulviamque sic etiam asseclas illius ducis castigatos fuisse. Videtur autem scriptus et editus liber ille ante pugnam actiacam et facile lasciviam, qua poeta lusit, ipsius iuventuti et temporum licentiae tribues. Summam autem lasciviam prodidisse Octavianum ex eo intelligas, quod Martialis ad excusandam carminum suorum licentiam sibi provocandum esse [12.]) duxit ad Caesaris versus; nec profecto argumentum laudatorum versuum sen-

---

(Poett. latt. minn. Tam IV.) carmen illud composuisse demonstrare studuit. Eius sententiam amplexus est Freder. Iacobus novissimus editor poematis illius. Equidem Wernsdorfii sententiam pro vera non agnoverim; Lucilium enim ipsum non scripsisse carmen peculiare de Aetna monte patet ex Senecae verbis „Aetnam describas *in carmine tuo.*“ Itaque locum tantum concessisse Aetnae descriptioni Lucilium videmus. At carmen servatum incipit ab hisce versibus

„Aetna mihi ruptique cavis fornacibus ignes
„Et quae tam fortes volvant incendia caussae
„Quod fremat imperium, quid raucos torqueat aestus,
„Carmen erit: dexter venias mihi carminis auctor:
„Seu te Xanthos habet, seu Delos gratior illa,
„Sive tibi Pytho est potior; tecumque faventes
„In nova Pierio properent a fonte sorores
„Vota: per insolitum Phoebo duce tutius itur.

Intelligimus carmen peculiare de Aetna auctorem, quisquis fuerit ille, edere voluisse. Sunt insuper alia, quae mihi dubitationem de Wernsdorfii sententia iniecerunt. Occasione oblata in medium proferentur.

9.) Cf. quae Aristoni suo scripsit C. Plinius lib. V. ep. 3. de studio lasciviores versus pangendi. De Pomponio Attico adi vit. Att. c. 18.

10.) Quod asservatur epigramma sub Augusti nomine Antholog. Lat. Burmanni lib. II. p. 184, id Grammaticum quendam scripsisse contendunt viri docti. Iubet Baehrius adiri Burmannum p. 357 de illo disserentem.

11.) Epigramm. lib. XI. 21.

12.) Incipit laudatum epigramma ad gravem lectorem scriptum ab hisce versibus:

„Caesaris Augusti lascivos livide versus
„Sex lege, qui tristis verba Latina legis.

tentiae prolatae obloquitur. Ceterum qui legerit, quae dicacitatis Octaviani exempla protulit apud Macrobium Saturnal lib. II. cap. 4 Avienus, is ad epigrammata scribenda animum proclivem aptumque ingenium habuisse Augustum fatebitur. Neque tempus locumque scriptioni male elegisse eum dixerim, quippe qui [13]) teste Suetonio illa balinei tempore fuerit meditatus.

Contenderunt porro ad hunc diem viri docti, qui in literarum romanarum historia indaganda operam collocavere, Octavianum scripsisse tragoediam, cuius titulus fuerit Aiax. [14]) Immo Baehrius refert pag. 87. eundem *tragoedias* scripsisse atque laudari Aiacem fabulam ex imitatione Sophocleae scriptam. Equidem vero valde dubitaverim afferri posse testimonium certum huius opinionis. Legimus sane apud Suidam „*ἔγραφε καὶ τραγῳδίαν Αἴαντός τε καὶ Ἀχιλλέως*:“ legimus apud [15]) Macrobium etiam „Aiacem tragoediam scripserat.“ . At contra hos auctores sufficiet unum nominasse testem Tranquillum Suetonium, qui hoc modo Caesaris studium describit: [16]) tragoediam magno impetu exorsus non succedente stylo abolevit quaerentibusque amicis, quidnam Aiax ageret, respondit, Aiacem suum in spongiam incubuisse.“ Non dubito, quin, quae Avienum dicentem Macrobius l. l. introduxit, ex Suetonio sint desumta. „Aiacem tragoediam, ait ille, scripserat eamdemque quod sibi displicuisset deleverat; postea Lucius gravis tragoediarum scriptor interrogabat eum, quid ageret Aiax suus; et ille in spongiam, inquit, incubuit.“ Huic quoque loco facere non possum, quin, priusquam continuem tractationem rei propositae, manum emendatricem admoveam. Ambigunt viri docti de nomine gravis illius tragoediarum scriptoris. Torrentius ex nummis L. Itium nuncupat, omnibus, ni fallor, prorsus ignotum. I. Rycquius, teste Pontano, lib. I. Epistol. 27. in Vaticano codice reperisse se testatur *L. Gnarius*. Pontanus ipse Lucium Varium innui censet eundem, quem laudaverunt Virgilius Eclog. 10, Quintilianus libr. 10. c. 1. et auctor carminis ad Pisonem Saleio Basso a Wernsdorfio falso adscripti. At ego non solum intelligendum sed etiam legendum esse puto: *postea Lucius Varius tragoediarum scriptor*, omisso adiecto *gravis*, quod ineptum paene est in narratione ista. Nomen Varius in Gnavius. hoc vero in *gravis* abiisse crediderim. Macrobius igitur non satis diligenter attendisse videtur ad Suetonii relationem et retulisse ipse magis coniectura facta ex Augusti iudicio, quam re accurate pensitata. Suidae autem unam tantum revera tragoediam exsignantis (Achillis nomen adposuisse eum cum Fabricio opinor, ut Aiacis cum Ulysse

desinitque prolatis in medium Augusti verbis in hanc clausulam:

„Absolvis lepidos nimirum, Auguste, libellos,
„Qui scis Romana simplicitate loqui.

13.) cf. cap. 85. vit. Octav.

14.) Krausius pag. 35.: Ex ceteris Augusti scriptis affertur — et Aiax tragoedia.

15.) Saturn. lib. II, c. 4. initio.

16.) c. 85. vit. Octav.

de armis contentionem innueret) indicium cum Tranquilli testimonio ita componi nequit, ut huic fidem derogemus. Pro certo igitur statui potest, Augustum incepisse fabulam tragicam scribere, incepto tamen ut vires superante destitisse. Sophoclis fabulam eiusdem nominis fortasse imitari voluit;[17.] illud tamen negaverim etiam alias tragoedias ab Octaviano esse compositas uno illo conatu satis territum et ad ludicra poetica procliviorem.

Neque philosophiae studia aliena sibi duxisse videtur Octavianus. Etenim philosophica eruditione imbutum eum esse per Arei philosophi filiorumque eius Dionysii et Nicanoris contubernium[18.] testatur Suetonius c. 89. Reliquit[19.] autem teste eodem scriptore opus inscriptum *Hortationes ad philosophiam.* Fuisse eius ingenium propensum ad respicienda et observanda sapientium virorum praecepta facile colligas ex his Tranquilli verbis c. 89: „in evolvendis utriusque linguae auctoribus nihil aeque sectabatur, quam praecepta et exempla publice vel privatim salubria eaque ad verbum excerpta aut ad domesticos aut ad exercituum provinciarumque rectores aut ad urbis magistratus publice mittebat, prout quique monitione egerent.“ Ex iis, quae ab eodem scriptore adiiciuntur, intelligitur quidem omnium maxime libros, in quibus de emendando rerum[20.] civilium statu fuerit actum, a Caesare lectos esse: verum, quae praecepta ad mores corrigendos pertinerent (et laude censoris optimi dignus apparuit Augustus), sive domesticis sive publice commendanda ex quo alio fonte hausisse putemus imperatorem nisi ex philosophorum operibus. Jam vero quaeritur, ad quem vel ad quos *hortationes* illas *ad philosophiam* idem scripserit. Certi nihil hac de re proferri potest: suspicor tamen ad personas familiae suae, fortasse ad Caium, Lucium et Agrippam M. Agrippae filios ex Iulia, ab ipso adoptatos illas hortationes scriptas fuisse.

Transeamus iam ad recensum illorum operum, in quibus rerum hominumque aetatis suae statum ac conditiones descripsisse credi potest Augustus. At primo quidem loco consideremus opus illud, cuius inscriptio fuit *Rescripta Bruto de Catone.* Pluribus idem constitisse voluminibus Suetonius diserte dicit.[21.] Videtur autem ab

17.) Omnino poematum graecorum non imperitum fuisse Octavianum scripsit Suetonius c. 89. in primis delectatum comoedia veteri, quam saepe exhibuisset publicis spectaculis fabulis, ni fallor, in latinum sermonem conversis.

18.) Adiicit idem Octavianum neque expedite locutum neque componere aliquid ausum esse. Haud dubie graeco sermone nihil eum composuisse innuit Suetonius, nisi statuamus hortationes ad philosophium philosophicis scriptis non esse accensendas.

19.) c. 85.

20.) c. 89. legimus: „Etiam libros totos et Senatus recitavit et populo notos per edictum saepe fecit: ut orationes Q. Metelli *de prole augenda*, et Rutilii *de modo officiorum*, quo magis persuaderet, utramque rem non a se primo animadversam sed antiquis iam tunc curae fuisse.“

21.) cap. 85. „Composuit Rescripta Bruto, quae *volumina* quum iam senior ex magna parte legisset fatigatus Tiberio tradidit perlegenda.“

Augusto cum iam aetatis esset provectioris compositum. Titulo *Rescripta* responsum refutatorium quasi innui recte Casaubonus iam indicavit. Est *rescribere* idem atque *scribere contra.* Similiter Tranquillus de illustrib. Grammat. „Scribonius docuit, quo Verrius tempore: cuius etiam libro de Orthographia rescripsit non sine insectatione studiorum morumque eius.“ Colligitur autem ex his, Brutum publicasse scriptum de Catone, contra quod aliud ediderit redarguendi caussa Augustus. Videtur M. Brutus Serviliae matris suae fratrem eundemque socerum (uxorem duxerat Porciam Catonis filiam) laudibus meritis extulisse eiusque adversarios in primis Caesarem lacessivisse. Octavianum quidem Catonem Uticensem plurimi fecisse testantur Valerius Maximus sub finem libri secundi et Macrobius Saturnal. libr. II. c. 4. Itaque non laudatione civis nobilissimi ad rescribendum illum permotum censeam sed potius calumniis, quas Brutum effudisse contra Caesarem eiusque partes facile coniici potest. Bruti libellum post Caesaris necem scriptum editumque suspicor: hoc enim tempore efficacissimam vim illud habere potuisse veri est simile: neque palam Caesarem ipsum laesurum fuisse scripto eundem putaverim. Post Bruti mortem Augustus de rescribendi tempore anxius esse non debebat poteratque senio fere suo defensionem Iulii Caesaris seponere.[23])

Haud exigui autem momenti fuisse videntur libri tredecim, quos Augustus de sua vita scripsit ipse: quo de opere hunc in modum refert Suetonius: „Prosa oratione — composuit — aliqua de vita sua, quam tredecim libris Cantabrico tenus bello, nec ultra exposuit. Eundem librorum numerum testatur Suidas sub voce Αὔγουστος.

Haud male contra Heerenium monuit Krausius Augustum primos vitae annos attigisse. Documento quidem ipsi videntur Suetonii verba c. 2. *Ipse Augustus nihil amplius quam equestri familia ortum se scribit vetere ac locuplete et in qua primus pater suus senator fuerit.* Verum haec verba num ex epistola quadam fortasse contra Antonium scripta sint desumta an ex primo de vita libro, ambiguum est. At aliud inveni idque certius testimonium. Plinius enim natur. Histor. Lib. II. c. 28. scribit: „Cernuntur et stellae cum sole totis diebus, plerumque et circa solis orbem spiceae coronae: et versicolores circuli, qualiter Augusto Caesare in prima inventa Urbem intrante post obitum patris ad nomen ingens capessendum.“ Depromta esse haec verba ex secundo libro memoriae vitae, quam composuit Augustus, docent verba[24])

22.) Narrat apud Macrobium haec Avienus: Non est intermittendus sermo eius, quem Catonis honori dedit. Venit forte in domum, in qua Cato habitaverat; dein Strabone in adulationem Caesaris male existimante de pervicacia Catonis ait: *Quisquis praesentem statum civitatis commutari non volet, et civis et vir bonus est.*

23.) *Rescripta* Baehrius laudavit pag. 390, item Krausius pag. 35. Vossius quod sciam, nullam huius operis fecit mentionem.

24.) Locus Servii hic est: „Baebius Macer circa horam octavam stellam amplissimam, quasi lemniscis coronatam ortam dicit, quam quidam ad illustrandam gloriam Caesaris iuvenis perti-

Macri Baebii apud Servium ad Virgil. Eclog. IX. Indicium quoque exhibiturum fuisse Tranquillum crediderim, si historiam iuventutis neglexisset. Ex voce *aliqua* possis quidem coniecturam facere, tantummodo certa quaedam rerum capita tractata fuisse ab Augusto, sed illa videtur iustam accipere explicationem ex additis verbis *Cantabrico tenus bello.* Exposuit igitur Caesar triginta et quinque primos vitae suae annos. Natus enim est anno 691. M. Tullio Cicerone et M. Antonio Coss. Belli autem Cantabrici initium incidit in sextum Augusti consulatum una cum Agrippa 726 gestum. Haud dubie pluribus locis Octaviani opere usus est Suetonius in condenda eiusdem memoria, nec falso statuisse putem Krausium verba cap. 27. vit. Octav. „Q. Gallium praetorem — iussit occidi prius oculis eius sua manu effossis: quem tamen scribit colloquio petito insidiatum sibi coniectumque a se in custodiam, deinde urbe interdicta dimissum naufragio vel latronum insidiis perisse," desumta esse ex libris de vita. [25]) Ceterum libros latine scriptos fuisse non solum ex fragmentis constat, sed docet ipse Suetonius, Augustum sermone graeco aliquid componere nunquam ausum esse c. 89 referens.

Conqueruntur denique viri docti de amissis tribus voluminibus testamento Augusti adiectis, quibus haud dubie tanquam uberrimo notitiarum fonte uti potuissent historiarum scriptores. [26]) De his priusquam disseram, notandus est error, in quem Krausium de testamenti ratione disputantem incidisse video. Suetonius scilicet cap. 101. haec de testamento retulit: „Testamentum L. Planco C. Silio Coss. tertio Nonas Aprilis ante annum et quatuor menses quam decederet factum ab eo ac *duobus codicibus* partim ipsius partim libertorum Polybii et Hilarionis manu scriptum depositumque apud se virgines Vestales cum tribus signatis aeque voluminibus protulerunt." Diversi sane sunt codices illi duo ab hisce tribus voluminibus, nec tamen contendere debebat [27]) Krausius testamentum constitisse propter *rerum perscriptarum* copiam ex duobus codicibus et fuisse ipsius ac libertorum Polybii et Hilarionis manu scriptum. Codices illi duo fuerunt duo testamenti eiusdem exemplaria. Simili modo scriptor Ti-

nere existimabant. Ipse animam patris sui esse voluit eique in Capitolio statuam super caput auream stellam habentem posuit. Inscriptum basi fuit Καίσαρι ἡμιθέῳ Sed Vulcanius Aruspex in concione dixit cometem esse, qui significaret exitum noni saeculi et ingressum decimi; sed quod invitis Diis secreta eorum pronunciaret, statim se esse moriturum; et nondum finita oratione in ipsa concione concidit. Hoc etiam Augustus in libro secundo memoriae vitae suae complexus est."

25.) Plura de hoc opere invenies apud Voss. de H. L. l. I. c. XVIII.

26.) Baehrius hunc fere in modum scripsit pag. 389. „Besonders fühlbar ist der Verlust zweier Werke, wovon das eine eine Sammlung aller Verfügungen des Augustus enthielt, das andere ein statistisches Tableau des gesammten römischen Reiches war."

27.) pag. 34.

berium refert testamentum duplex fecisse alterum sua manu, alterum liberti manu, sed eodem exemplo.

Argumentum trium voluminum hunc in modum idem describit: „Uno mandata de funere suo complexus est; altero indicem rerum a se gestarum, quem vellet incidi in aeneis tabulis, quae ante Mausoleum statuerentur; tertio breviarium totius imperii, quantum militum sub signis ubique essent, quantum pecuniae in aerario et fiscis et vectigalium residuis. Adiecit et libertorum servorumque nomina, a quibus ratio exigi posset.“ Iam tertium volumen describi putat Krausius hisce Taciti verbis Annal. libr. I. cap. 11.: Opes publicae continebantur (libello): quantum civium sociorumque in armis; quot classes, regna, provinciae, tributa aut vectigalia et necessitates ac largitiones; quae cuncta sua manu perscripserat Augustus: addideratque consilium coercendi intra terminos imperii. Concedo tertium describi volumen nec tamen ita, ut statui nequeat Tacitum verbis *addiderat consilium* etc. volumen peculiare innuisse, quartum scilicet illud quod commemorat lib. LVI. cap. 33. Dio. Et profecto, quoties ea mente repeto, quae [28]) Dione teste exsignata fuerunt ab Augusto de optima sustentandae reipublicae ratione, persuadere mihi non possum, ista omnia tertio volumini annexa fuisse, nisi statueris *epilogi instar* ad totum testamentum mandata Augusti saluberrima fuisse, perscripta. Discrepantiae tam certo indicatae in tanto simul consensu exemplum simile vix memini me alibi legere. Iam vero primum laudatorum voluminum exigui tantum momenti haberi potest, utilitatem si spectamus ad historiae cognitionem inde redundantem. De altero quae proferri possint, ea legi licet apud Krausium pag. 33. Tertii vero voluminis, quo breviarium totius imperii continebatur, ratio ita comparata est, ut plus uno nomine de eo disputari possit. Ac primum quidem c. 28. vitae Octav. legimus Augustum taedio diuturnae valitudinis cogitasse de reddenda republica magistratibusque et senatui domum accitis *rationarium imperii* tradidisse Baehrius. [29]) Ernestio monente propensus est ad opinandum, rationarium illud et breviarium totius imperii unum idemque fuisse opus. At res aliter se habere videtur. Etenim Augustum sedecim menses ante obitum fecisse testamentum Suetonius c. 101. narrat. Licet igitur coniici volumina quoque illa tria aut quatuor circiter intra triennium mortem praecedens scripta fuisse; rationarium autem illud anno 731

28.) Dio lib. LVI. c. 33. *Τὸ τέταρτον (εἶχε) ἐντολὰς καὶ ἐπισκήψεις τῷ Τιβερίῳ καὶ τῷ κοινῷ ἄλλας τε καὶ ὅπως μήτ᾽ ἀπελευθερῶσι πολλοὺς - μήτ᾽ αὖ ἐς τὴν πολιτείαν συχνοὺς ἐσγράφωσιν - τά τε κοινὰ πᾶσι τοῖς δυναμένοις καὶ εἰδέναι καὶ πράττειν ἐπιτρέπειν καὶ ἐς μηδένα ἀναρτᾶν παρῄνεσε γνώμην τε αὐτοῖς ἔδωκε τοῖς τε παροῦσιν ἀρεσθῆναι καὶ μηδαμῶς ἐπὶ πλεῖον ἐπαυξῆσαι ἐθελῆσαι.*

29.) pag. 390.

Caesarem tradidisse puto. Etenim ab eo non diversus videtur fuisse libellus ille, quem laudato anno testante Dione lib. LIII c. 30 dedit Calpurnio[30]) Pisoni consuli, cum sine spe recuperandae valetudinis morbo gravissimo implicitus iaceret. Iam vero post tot annos praeterlapsos senatui et magistratibus oblatum libellum esse quis credat? Dein autem quod opusculum asservatur Parisiis in bibliotheca regia inscriptum[31]) *παλαιὰ λογαρικὴ τοῦ Αὐγούστου Καίσαρος*, id multo magis ex breviario paulo ante mortem scripto quam ex rationario illo priorum temporum defluxisse opiner.

De epistolis ab Augusto ad viros feminasque nobilis scriptis, ex quibus haud pauca desumsisse censendus est Suetonius, conferri possunt, quae Krausius scripsit pag. 34 et 35. Baehrius immerito earum nullam fecit mentionem, cum inter scripta collectioni epistolarum, fructum si consideramus ex iis in cognitionem rerum gestarum provenientem, haud ultimus concedi possit locus.

Haec fere sunt, quae iis, quae a viris doctis de Augusti studiis literariis in medium sunt prolata, adiicienda putavi.

Ad Tiberii studiorum adumbrationem antequam progrediar, praetermittere non possum, quin M. Antonium proferam, quippe qui non solum gladio sed stilo etiam Augusto adversarius extiterit. Edidit ille epistolas, quibus in componenda vita Octaviani Suetonius est usus. Scriptae sunt ad Augustum vel potius in Augustum: quas unicus reliquias viri ingeniosi cum ne commemoraverit quidem Baehrius, Krausius autem indicaverit magis, quam tractaverit, copiosius de iis agere constitui. Diserte laudantur cap. 7 et cap. 70. Loco priore legimus: Sed et a M. Antonio in epistolis per contumeliam saepe Thurinus adpellatur; altero autem: Coena quoque eius secretior in fabulis fuit, quae vulgo *δωδεκάθεος* vocabatur: in qua deorum dearumque habitu discubuisse convivas et ipsum pro Apolline ornatum Antonii epistolae nomina amarissime enumerantis exprobrant.

Iam si cum verbis c. 7. ea comparaveris, quae leguntur c. 2.: „M. Antonius libertinum ei proavum exprobrat restionem e pago Thurino, avum argentarium,“ et c. 4.: „M. Antonius despiciens etiam maternam Augusti originem proavum eius Afri generis fuisse et modo unguentariam tabernam modo pistrinum Ariciae exercuisse obiicit,“ concedes haec quoque desumta esse ex epistolis Antonii, fortasse ex una eademque. Porro si cum verbis cap. 70 ea conferimus, quae scripta sunt cap. 68 „M. Antonius adoptionem avunculi stupro meritum,“ et c. 69: „M. Antonius super festinatas Liviae nuptias obiecit et foeminam consularem e triclinio viri coram in cubiculum abductam, rursus in convivium rubentibus auriculis, incomtiore capillo reductam,

30.) *Πείσωνι τάς τε δυνάμεις καὶ τὰς προσόδους τὰς κοινὰς ἐςβιβλίον ἐσγράψας ἔδωκε.*

31.) Cf. Schoellii historiam literarum graecarum Tom. II. pag. 381. et Alb. Fabr. Aug. Temp. not. gen. et script. fragm. pag. 212.

Scribit etiam ad ipsum hoc familiariter adhuc nec dum plane inimicus aut hostis: Quid te mutavit? quod reginam ineo? uxor mea est. Nunc coepi an abhinc annos novem? tu deinde solam Drusillam inis? ita valeas, uti tu hanc epistolam cum leges, non inieris Tertullam aut Terentillam aut Rufillam aut Salviam Titisceniam aut omnes." non negabimus haec quoque ex epistolis Antonii depromta esse.

Minus certam epistolarum notam prae se ferunt verba c. 16: „Sub horam pugnae tam arcto repente somno devinctus (Octavianus), ut ad dandum signum ab amicis excitaretur. Unde praebitam Antonio materiam putem exprobrandi, ne rectis quidem oculis eum aspicere potuisse instructam aciem, verum supinum, coelum intuentem, stupidum cubuisse: nec prius surrexisse ac militibus in conspectum fuisse, quam a M. Agrippa fugatae sint hostium naves:" Eodem modo licet quaeri, ex quo fonte hausta sint, quae leguntur c. 63: M. Antonius scribit: primum eum (Octavianum) Antonio filio suo despondisse Juliam: dein Cotisoni Getarum regi, quo tempore sibi quoque invicem filiam regis in matrimonium petiisset. Verum cum his quoque locis eodem modo, quo in superioribus, introduxerit Antonium referentem, formula scilicet illa *Antonius scribit,* neque argumentum tale sit, quod non in epistolis tractatum esse possit credi, suspicor et illa in epistolis fuisse exhibita.

Ex locis allatis cognoscimus Antonium originem, ignaviam, inconstantiam et adulteria Octaviani notasse. Iam si reputemus, Suetonium testari illum Octaviano adulteria non ut plane inimicum aut hostem exprobrasse, in quantam procacitatis progressus sit in scribendo, facile conicctare possumus. Infuisse in epp. notitias, quae pertinerent ad historiam rerum illis temporibus gestarum illustrandam, non negabimus, magnam tamen earum partem eius fuisse generis quale legitur in Chronicis Gallorum scandala enarrantibus, concedemus. Suspicor Antonium quoties re quadam feliciter gesta emicuerit laus Octaviani inter homines, toties obtrectatorem extitisse, initio magis cavillantis specie indutum quam lividi hostis. Octavianum ad nonnullas epistolarum redarguendi caussa respondisse colligi licet ex hisce Suetonii verbis cap. 7. vitae Aug.: et ipse (Octavianus) nihil amplius quam mirari se rescribit, pro opprobrio nomen prius sibi obiici.

Quod attinet ad fidem epistolis tribuendam, primo dicendum est, Suetonium ipsum raro tantum fide dignas eas habuisse. Acerbitatem Antonii aliquoties sensisse se prodit idem posito verbo *exprobrat, vel obiicit* nec minus eo, quod alia testimonia contra dicta istius viri affert: sic c. 2., ubi Augusti de origine sua disserentis verba excipit Antonii exprobratio; dein c. 7. ubi egregie refutatur Antonius. Cap. 10 invitus accipit Antonii iudicium, subvenitque Augusti laudi eundem pugna sequenti non solum ducis sed militis etiam munere functum esse narrans. c. 16. malignitatem agnoscit Antonii, quippe qui ex somnolentia de ignavia et stupiditate coniecturam fecerit. c. 68 et 69 credit Antonio, cuius testimonium ex aliorum assensu fidem acceperit. Dein Ciceroni quoque bilem movisse videtur Antonius exprobrata origine paterna et ma-

terna. Certe Philippicarum tertiae c. VI. ita invehitur in istum: Ignobilitatem obiicis C. Caesaris filio, cuius etiam naturalis pater, si vita suppeditasset, consul factus esset. — „Aricina mater.“ — Trallianam aut Ephesiam putes dicere. Videte, quam despiciamur omnes, qui sumus e municipiis, id est, omnes plane. Quotus enim quisque nostrum non est? Quod autem municipium non contemnit is, qui Aricinum tanto opere despicit, iure foederatum, propinquitate paene finitimum, vetustate antiquissimum, honestissimum? Haec Ciceronis verba aperte respiciunt Antonii epistolam cap. 2. et 4. a Suetonio laudatam. Immo verbum *despicere* posuisse suspicor Antonium ipsum in epistola sua Suetonio quoque scribente: *„Antonius despiciens maternam originem.“* Tum Messalam adeo exacerbatum esse epistolarum argumento, ut adversus eas librum peculiarem scriberet, docet Sosipater Charisius libr. I. Nec non Cremutius Cordus a Tacito Annal. lib. IV. cap. 34 hunc in modum de iis introducitur disserens: *Antonii epistolae, Bruti conciones falsa* [32]) *quidem in Augustum probra et multa cum acerbitate habent.* Ex his dictis elucet eum qui contexere velit Octaviani vitam, epistolarum Antonii reliquias summa tantum cum cautione in auxilium vocare posse.

Superest, ut duobus locis obviis in reliquiis istis emendando subveniamus. Alter legitur c. 68: „Prima iuventa variorum dedecorum famam subiit. Sex. Pompeius ut effoeminatum insectatus est, M. Antonius adoptionem avunculi stupro meritum.“ Nisi statuamus, ex verbo *insectatus est* resumendum esse verbum aliud ut *dixit* vel *exprobravit*, inserenda erit post nomen Antonius particula *ut*, quam patet facillime excidere potuisse. Alter locus offertur c. 69: Ita valeas uti tu hanc epistolam cum leges, non inieris Tertullam, aut Terentillam aut Rufillam aut Salviam Titisceniam aut omnes. verbis corruptela accidisse videtur. Oratio turbata apparet nominibus *Salviam Titisceniam.* Sufficiebat tam lepide scribenti unum ponere nomen: iam vitiatur concinnitas orationis. Codices fluctuant inter lectiones *Salviam Titisceniam, Salviam Ciriseniam, Salviam Titiseniam.* Saenia gens quia fuerit Romana, proposuere nonnulli teste nec tamen probante Torrentio Salviam Titi, Saeniam, quam scripturam vix commode intelligi posse puto. Haud male vero Torrentius ipse fabulam aliquam excogitavit permotus Dionis narratione quae legitur libr. 49. c. 8. Refert hic scriptor ad Augustum transiisse Gallum quendam *Τισιῆνον* aut *τιτισιῆνον*, uti legit Tor-

---

32.) Quam exhibui supra scripturam, eam dedi ex coniectura Kritzii (Allgem. Schulz. 1830. Nro. 17.) Immerito a Walthero damnata est. Particulae *sed* nullum equidem locum concessum video, cum falsa probra et probra cum multa acerbitate prolata disiungi sibique opponi nequeant: particula *quidem* nihil, quod tanquam opponendum sequatur, postulat, quippe quae respondeat nostro gewiß. Convertes illa verba in hunc modum: Des Antonius Briefe, des Brutus Reden enthalten sicher unbegründete und in sehr bitterer Rede ausgesprochene Vorwürfe.

rentius: huius igitur filiam corrupisse coniecit Caesarem ille. Verum si vidit, legendum sane erit *aut Salviam aut Titisienam aut omnes.* Equidem de alia emendandi ratione cogitavi. Quid si legamus: aut Salviam aut *si des veniam* omnes. Habebit vox *omnes*, quo extollatur quodammodo.

Venio iam ad Tiberium, qui rei Romanae arbitrium tribus ferme et viginti annis obtinuit. Imperatorias eius virtutes, fortitudinem, intelligentiam rei militaris atque civilis animumque adulationibus alienum agnoscent vel ii, qui Cornelium Tacitum facinora huius Caesaris ex effectu quidem passim laudantem, nec tamen non ex caussis vituperio notantem iudicem iustissimum putant. Accedit vero ad illarum virtutum famam laus insignis liberaliorum studiorum amoris. Quemadmodum autem Tiberius regiminis morumque [33]) diversa habuit tempora, sic quoque opinor diversas pro temporum ratione in ipso fuisse literarum quod attineat ad studia promovenda sententias. Erat sane, cum vel [34]) patiens adversus famosa de se suisque carmina iactaret subinde in civitate libera linguam mentemque liberas esse debere: nec tamen non potuit, quod [35]) poetae obiectum fuisset, ipsum in tragoedia Agamemnonem probris lacessisse, quod Cremutio Cordo historico, ipsum Brutum Cassiumque ultimos dixisse Romanorum, statim animadverti iubere in auctores scriptaque eorum aliquot ante annos Augusto ipsi probata aboleri.

Tiberium in primis litterarum Graecarum studio ingenium suum excoluisse facile coniicies ex ipsius vita Rhodiensi. Per octo enim annos Rhodi manserat ibique scholas et auditoria professorum assidue frequentaverat. [36]) Eloquentiae specimen primum dedit [37]) puer novem annorum patrem defunctum in rostris laudans; [38]) iuvenis Archelaum Cappadociae regem, Trallianos et Thessalos defendit proque Laodicenis Thyatirenis Chiisque terrae motu afflictis opemque implorantibus senatum deprecatus est. Accusatoris partes suscepit adversus Fannium Caepionem, qui cum Varrone Muraena in Augustum conspiraverat. Fragmenta dictorum quorundam in senatu orationumque nonnullarum apud Suetonium reperiuntur [39]) vitae Tib. cap. 29 et

---

33.) Tacit. Annal. lib. VI. c. 51.: egregium tempus vita famaque, quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit: occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere: idem inter bona malaque mixtus incolumi matre: intestabilis saevitia, sed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit timuitve: postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore et metu suo tantum ingenio utebatur.

34.) Cf. vitae Tib. c. 28.

35.) Cf. vit. eiusd. c. 61.

36.) Cf. vit. Tib. cap. 11.

37.) Cf. vit. Tib. c. 6.

38.) Cf. vit. Tib. c. 8.

39.) Cap. 28. Extat sermo eius in Senatu percivilis: „Siquidem locutus aliter fuerit (auctor libelli famosi) dabo operam ut rationem factorum meorum dictorumque reddam: si persevera-

cap. 67: quae si legeris, Suetonii iudicium scribentis affectatione et morositate nimia obscurasse Tiberium stylum probabis tantummodo, quatenus morositatis aliquid produnt: alioquin simpliciter et dilucide omnia dicta esse videntur. In sermone latino imitandum sibi sumsit M. Valerium Messallam Corvinum, quem nitidum et candidum et in docendo nobilitatem suam quodammodo prae se ferentem dicit Quintilianus Institut. oratt. lib. X.[40]) Affectatum obscuratumque nec tamen enervatum discendi genus produnt magis epistolarum reliquiae. Sic rescripsisse legimus cap. 32 Tiberium Praesidibus onerandas tributo provincias censentibus: *Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere;* et cap. 67[41]) hunc in modum summam malorum suorum professum esse: *Quid scribam vobis Patres Conscripti aut quomodo scribam aut quid omnino non scribam hoc tempore, Dii me deaeque peius perdant, quam quotidie perire sentio, si scio.*

Attingendae poëtices ausam invenit Tiberius in L. Caesaris morte, quam lyrico carmine Suetonio teste conquestus est. Carmen ipsum inscriptum erat Conquestio de L. Caesaris morte.[42]) Refert idem scriptor Tiberium transacto tribuniciae potestatis tempore confessum esse nihil aliud secessu (in insulam Rhodum) devitasse se quam aemulationis cum Caio Lucioque suspicionem. Hinc colligo paulo post Lucii Caesaris mortem anno 756 insecutam carmen a Tiberio compositum publicatumque esse, ut doloris significatione suspiciosum Augusti animum sibi conciliaret.

Ut autem Rhodi exsul *conquestionem* illam, sic intra secessum Capreensem senex vitae historiam scripsisse videtur Tiberius. Commentarium, ait Suetonius cap. 61 de vita sua summatim breviterque composuit. Unius tantum quod sciam loci argumentum ex illo commentario attulit scriptor l. l. et quidem tali modo, ut ipse Caesaris fiduciam audacissimam miretur. „*Ausus est*, inquit, scribere Seianum se punisse, quod comperisset furere adversus liberos Germanici, filii sui.“ Suetonio de innocentia sua non persuasit nepotum suorum interemtor. Quot constiterit libris com-

---

verit, invicem odero.“ Fortasse haec ex oratione quadam desumta sunt. c. 29. dicta tantum memorari puto. c. 67. orationis de patris patriae appellatione a Senatu oblata habitae fragmenta legimus; „Similem se semper sui futurum nec unquam mutaturum mores suos, quamdiu mentis sanae fuisset: sed exempli caussa cavendum, ne se senatus in acta cuiusquam obligaret, qui aliquo casu mutari posset. Et rursus: Si quando autem, inquit, de moribus meis devotoque vobis animo dubitaveritis: quod prius quam eveniat opto ut me supremus dies huic mutatae vestrae de me opinioni eripiat: nihil honoris adiiciet mihi Patris appellatio: vobis autem exprobrabit aut temeritatem delati mihi eius cognominis aut inconstantiam contrarii de me iudicii.

40.) Tiberio Augustum non pepercisse et oxoletas interdum et reconditas voces aucupanti ait Tranquillus cap. 86 vit. Octav.

41.) Tacit. Annal. lib. VI. c. 6. idem epistolae initium legitur: dedit autem Tacitus *quam* perire me quotidie sentio.

42.) Cap. 11. vit. Tib..

mentarius ille, nescimus. Ceterum in Domitiani vitae cap. 20 *commentarios* Tiberii memorat Suetonius, haud dubie idem opus exsignans.

Tiberium secutus est C. Caligula Germanici filius. Hic quidem initio bonum se praebuit principem, postea vero eo progressus est vesanae atrocitatis, ut teste Suetonio c. 31. vit. eiusdem de conditione temporum queri soleret: quod nullis calamitatibus publicis insignirentur: atque, ne prosperitate rerum nominis oblivio sibi timenda esset, exercituum caedes, famem, pestilentiam, incendia, terrae motum optaret. Tali autem mentis diversitate est factum, ut et diverso modo de literarum studiis promovendis indicaret. Ipse quidem eruditioni exiguam tantum attentionem impendit neque quod sciam [43]) ullum maioris momenti ingenii sui monumentum reliquit, unique tantum eloquentiae natura iam promptus ad dicendum [44]) operam navavit. Refert praeterea Suetonius (c. 53. vit. Calig.) ipsum prosperis oratorum actionibus rescribere et magnorum in senatu reorum accusationes defensionesque meditatum esse. At primis principatus mensibus liberalem saltem erga literatos homines eorumque studia ostendit animum. [45]) T. Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta Tiberio regnante ut documenta liberae facundiae senatusconsultis abolita conquiri lectitarique concessit. Contra cum incidisset in valitudinem, cogitavisse eum testatur Suetonius (cap. 51. vit. Cal.) de Homeri carminibus abolendis, de scriptis Virgilii et Titi Livii ex omnibus bibliothecis amovendis, quorum alterum ut nullius ingenii minimaeque doctrinae, alterum ut verbosum negligentemque carpserit. Itaque quo triennio tenuerit imperium, eo nec auxilio nec adhortatione imperatoria gavisos esse puto viros eruditos.

Sensum perquam diversum prodidit successor eius Tiberius Claudius Drusus. Naturam quidem hic parum fautricem nactus est. Animo enim et corpore hebes a tenerrima aetate ne plurima quidem disciplinis liberalibus data opera prohibere potuit, quominus ipsi matri, ipsi aviae, ipsi sorori inchoatum hominis portentum esse videretur plenum stoliditatis, indignum prorsus populo Romano. [46]) Apud Augustum quoque eum in contemtu fuisse declarant eius ad Liviam epistolae. [47]) Ac profecto imperator etiam cum esset factus, haud paucis in rebus egregia stoliditatis cum ignavia et inertia indulgente coniunctae documenta edidit. Duplici tamen nomine laude dignus mihi esse videtur, cura quadam salutis civium externae et assiduo eruditionis et literarum amore atque studio. Qua de caussa, quoties ducta lineamenta colligo imagi-

43.) Orationes eius publicatas fuisse innuit Suet. cap. 53. vit. Cal. Rhetorica a Suida laudata Germanici fuisse opus Lipsius censet ad Tacit. Annal. XIII. 3.

44.) Tacitus Annal. XIII. 3. „Etiam C. Caesaris turbata mens vim dicendi non corrupit.“

45.) Cf. cap. 16. vit. Calig.

46.) Cf. vit. Claud. cap. 3.

47.) Cf. vit. eiusd. cap. 4.

nemque ingenii fingo, ipsnm inter et Iacobum primum Anglorum regem aliqnid similitudinis intercessisse censeo.

Inter disciplinarum liberalium experimenta a Clandio pnblicata, argumenti gravitatem si spectamus, primum locum videtur tenuisse historia civitatis romanae, quam [48]) impulsore T. Livio adiutus per Sulpicium Flavum adolescens scribere agressus est. Imperator factus in scribendo opere videtur perrexisse. At turbulentam illam et ambiguae sortis plenam actatem, quae Octaviani cum Antonio rixas pugnasque vidit, describere ausus sumto scribendi initio post caedem Caesaris Dictatoris intellexit se neque libere neque vere de contentionibus illius aetatis scribere posse: itaque confectis duobus voluminibns filum operis abrupit aliudque novum scribere induxit in animum, quod primordium caperet a pace civili i. e. a pace per Augustum civitati Romanae donata. Parum accurate Claudii operam Bachrius pag. 456 his depinxit verbis: „Claudius schrieb in ein und vierzig Büchern eine Geschichte Roms seit dem Frieden, den Augustus über die römische Welt gebracht, nachdem er früher diese Geschichte mit dem Tode Caesars beginnen wollte.“ Revera enim duo volumina historiae civitatis romanae post necem Julii Caesaris Claudius reliquit. Alterum vero opus nno et qnadraginta voluminibns continebatur. Fortasse opus maius tangunt, quae leguntur apud Suetonium c. 21: „Fecit et saeculares, quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos: quamvis ipse in historiis suis prodat *intermissos eos Augustum multo post diligentissime annorum ratione subducta in ordinem redegisse.*“ Praeterea, quae apud Plinium Natur. histor. lib. VII. c. 3. de Hippocentauro Thessalico narrantur, videri possunt ex historiis Claudii Caesaris desumta. Diomedis ad *veteres* provocantis lib. I. p. 378. ed. P. „Item quod nos suspicatur, veteres ospicatur dixerunt. Claudius octavo historiarum: Flacco ospicatur“: ad Claudii Quadrigarii annales referri malim.

Composuit porro de vita sua octo volumina Claudius. [49]) Vellem aetatem haec volumina tulissent: nihil enim dubito, quin lecturis largam ridendi materiam exhiberent. Suetonius ipse non [50]) ineleganter quidem, sed *inepte* composita fuisse testatur.

Scripsit praeterea Ciceronis defensionem adversns Asinii Galli libros. Snfficiet duos de Asinii Galli studio Ciceroni obtrectandi testes eosque gravissimos proferre, A. Gellium et Plinium iuniorem. Ille lib. XVII. cap. I. ab hisce incipit verbis: „Ut quidam fuerunt monstra hominum, qui de piis immortalibus impias falsasque opiniones prodiderunt: ita nonnulli tam prodigiosi tamque vecordes extiterunt, (in qui-

48.) Cf. cap. vit. Claud. 41. Bachrius pag. 391. Livium praeceptorem fuisse scribit Tiberii Claudii Caesaris ad Snetonii verba provocans c. 41. Hoc vero loco nihil aliud invenies quam Claudium hortante Livio historiam scribere aggressum esse. Coniectari sane licet Livio educandi partes delatas fuisse, cum Sulpicium quendam cap. 4. vitae Claudii paedagogum adolescentis fuisse legamus.

49.) Cf. cap. 41. vit. Claud.

50.) Tacitus lib. XIII. c. 3. „Nec in Claudio, quoliens meditata dissererentur, elegantiam requireres.

bus sunt Gallus Asinius et Largus Licinius. cuius liber etiam fertur infando titulo Ciceromostix), ut scribere ausi sint M. Ciceronem parum integre atque improprie atque inconsiderate locutum. Plinius vero Pontio haec scribit lib. VII. epist. 4.: „Legebantur in Laurentino mihi libri Asinii Galli de comparatione patris i e. Asinii Pollionis cum Cicerone.“ In libris palmam patri suo dare ausus, Asinius permovisse videtur Claudium Caesarem, ut Ciceronis defensionem susciperet. Eruditionis laude conspicuum fuisse librum testatur Suetonius l. l. Severe an leniter cum Asinio Gallio egerit, nescimus: urbanius certe, quam filius Galli cum Claudio ipso, qui stili Claudiani iniuriam pugione ulcisci voluisse videtur, siquidem filius illius Galli fuit Asinius Gallus c. 13. vit. Claud. memoratus. Baehrius quod sciam nusquam hoc Claudii scriptum commemoravit.

Privatus edidit librum de[51]) trium a se inventarum literarum ratione, cuius item nullam apud Baehrium mentionem factam inveni. Memoratur denique a Suetonio liber ab eo scriptus de aleae arte,[52]) cui ipse deditus fuit adeo, ut soleret etiam in gestatione ludere, ita essedo alveisque adaptatis, ne lusus confunderetur. Hunc quoque librum Baehrius non memoravit.

Neroni Claudio Caesari accidit, quod C. Caligulae. Initio principatus tantam ille clementiam tantumque erga genus humanum prodidit amorem, ut summa saeculi felicitas securitasque posset sperari:[53]) at sensim et occulte idem eo libidinis, avaritiae et crudelitatis est progressus, ut Cornelius Tacitus scriptor sanctissimus opinari se confiteretur deos de mortalibus securos agere, portentum illud per multos annos post matris caedem regnare passos. In una tamen re constantiae laudabilis documenta haud pauca dedit Nero, in litterarum artiumque studio. Praeter philosophiam et veterum oratorum cognitionem liberales disciplinas omnes attigisse puerum refert c. 52. Suetonius, illam matre imperaturo alienam censente, hanc vero Seneca praeceptore ut infructuosam amibitionis vano studio negante. Testatur idem ad poeticam eum pronum carmina libenter ac sine labore composuisse. Hinc facile colligas carmina illa, quae domi et in theatro recitata ab eo narrat Suetonius c. 10., non alieno ingenio esse elaborata, ita ut Taciti indicio Annal libr. XIV. c. 16. prolato aliquantulum fidei detrahi liceat, praesertim cum contra eum consulto affirmavisse videri possit Suetonius venisse in manus suas pugillares libellosque cum quibusdam notissimis versibus ipsius chirographo scriptis, ut facile appareret, non translatos aut dictante aliquo exceptos, sed plane quasi a cogitante atque generante exaratos: ita multa et deleta et inducta et superscripta infuisse.[54])

51.) Cf. cap. 41. vit. Claud. 52.) Cap. 33. vit. eiusd.

53.) Suet. cap. 10. vit. Ner.: „Ut certiorem adhuc indolem ostenderet, ex Augusti praescripto imperaturum se professus neque liberalitatis neque clementiae nec comitatis quidem exhibendae ullam occasionem omisit.“

54.) Confer, quae egregie disputavit de Neronis carminibus in universum Franciscus Passovius ad Persii Sat. I. v. 99—102.

Carmen, quod Halosis Troiae inscriptum fuerit, contendunt viri docti composuisse Neronem ad Suetonii verba c. 38 provocantes: „Urbis incendium e turri Maecenatiana prospectans laetusque flammae pulcritudine ἅλωσιν Ilii in illo suo scenico habitu decantavit“.[55] Nec fortasse falso. Erat quidem, cum putarem graeci auctoris carmen quoddam illa aetate celebratissimum decantasse imperatorem: at puto Suetonium ambiguitatis evitandae caussa aliquid additurum fuisse. Itaque suspicor, cum incendium per multos dies saevierit, Neronem composuisse versus[56] (graecos an latinos, incertum est), postea vero argumento rei captum opus maius texuisse *Troica* inscriptum, cuius memor est Servius ad Georg. lib. III. v. 36 et Aen. lib. V. v. 370.

Laudatur porro a Suetonio vit. Dom. c. 1. carmen Neronis inscriptum *Luscio* in Clodium Pollionem virum praetorium iuvenili Domitiani Caesaris flore abusum. Nec dubitari potest, ea omnia, quae de Neronis dicacitate a Tacito narrentur, declarare ipsum *satyricae poesi inprimis fuisse deditum*.[57]

Testatur idem cap. 47. inventum esse *librum*, in quo mortis metu agitatus varia salutis ineundae consilia perscripserit: v. g. velle se atratum prodire in publicum proque rostris, quanta maxima posset miseratione veniam praeteritorum precari ac ni flexisset animos vel Aegypti praefecturam concedi sibi orare. Orationem intelligi debere concedes.

Unius epistolae fragmentum servavit cap. 23. Suetonius satis levitatem eius notans. Olympiae scilicet cum agona musicum praepararet, ab Helio liberto de Urbis cura monitus rescripsit: „Quamvis nunc tuum consilium sit et votum celeriter reverti me: tamen suadere et optare potius debes, ut Nerone dignus revertar.“

Ceterum facere non possum, quin repetam, quae Franciscus Passovius ad. l. l. Persii confessus iam est, optandum videri ut Neronis vita scribatur quam accuratissime religiosi auctoris manu. Praeclara certe et magna voluisse eum non negaverim.

Galbae imperium septem mensium nulla studiorum aut promovendae ingeniorum culturae aut liberalium artium cura insigne fuit. Inter liberales disciplinas et iuri eum attendisse scribit cap. 5. Suetonius.

Othonis imperium nonagesimo et quinto iam die extinctum est: nec quidquam laudis literariae ei tributum inveni. Nam quod binos idem dicitur exarasse[58] codicillos, quo tempore iam de morte consciscenda cogitaret, consolatorios unos ad sororem suam, alteros ad Messalinam Neronis, quam matrimonio destinaverat, reliquias commendans suique memoriam, id necessitati tribues.

55.) Cf. praet. Tac. Annal. lib. XV. c. 39. Iuvenal. Sat. VIII. v. 221.

56.) Suet. c. 7. vit. Ner. Pro Rhodiis atque Iliensibus graece verba fecit.

57.) Cf. Tacit. Annal. lib. XV. c. 49. Martial. Epigramm. IX. 27.

58.) Cap. 10. vit. Oth.

Vitellium autem saginae deditum Musis operatum esse vel cogitasse tantum absit, imperium virtutumque imperatoriarum non solum, sed etiam literarum artiumque amoris laudem ei relinquentem, qui tam indignis manibus regni maiestatem ademit, T. Flav. Vespasiano. Fovit Vespasianus testante Suetonio cap. 18 ingenia et artes vel maxime, *primus* latinis graecisque Rhetoribus annua centena constituens praestantesque poetas insigni congiario magnaque mercede donans. Cf. Baehr. pag. 39 et 41. l. l. Patre tanto dignum se praestitit Titus, quem latine graeceque vel in orando vel in fingendis poematibus promptum et facilem usque ad extemporalitatem fuisse scribit Suetonius cap. 2. eius vit. Itaque poetarum agmini accensendum eum puto in libris literarum romanarum historiam exhibentibus. At uti hunc naturae dote ad poetices studium ductum fuisse, ita fratrem Domitianum idem vano ambitione per temporis spatium quoddam insuetum antea ipsi, postea vero abiectum plane affectavisse cognoscimus ex Suet. vit. eiusdem cap. 2. Imperator factus idem liberae linguae frena iniecit scripta famosa, quibus primores viri ac feminae notabantur, non sine auctorum ignominia abolendo. Junium Rusticum, quod Paeti Thraseae et Helvidii laudes edidisset, interemit huiusque criminis occasione philosophos omnes Urbe Italiaque submovit. Helvidium quoque filium occidi iussit, quasi scenico exodio sub persona Paridis et Oenones ipsius divortium cum uxore ab eo esset taxatum. Immo Metium quendam Pomposianum sustulit e medio, quod depictum orbem terrae in membrana circumferret.[59]) Curavit quidem bibliothecas incendio absumtas impensissime reparandus exemplaribus undique petitis missisque Alexandriam, qui describerent emendarentque: sed tamen neglexisse eum liberalia studia imperii initio refert Suetonius, neque ipsum ullam historiae carminibusve noscendis aut stilo vel necessario dedisse operam. Edidit tamen libellum *de cura capillorum:*[60]) cuius fragmentum nitidum servavit Tranquillus cap. 18.: „οὐχ ὁράᾳς, οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε; Eadem me tamen manent capillorum fata et forti animo fero comam in adolescentia senescentem. Scias nec gratius quidquam decore nec brevius.“

Superest ut disputatio instituatur de nonnullis scriptoribus a Suetonio commemoratis, qui ad hunc diem minore, quam par fuerit, cura habiti esse videntur. Invenies quidem nomina fere omnium in Vossii opere de historicis latinis, neque Krausii diligentiam maxima pars eorum fugit: at vel sic fortasse, quae afferentur in hac parte scriptionis, non aliena esse videbuntur.

Laudatur a Suetonio tanquam testis cap. 11 vitae Iulii Caesaris Actorius Naso hunc in modum: „Idem Curio sed et M. Actorius Naso auctores sunt conspirasse eum etiam cum Cn. Pisone adolescente: cui ob suspicionem urbanae coniurationis provincia Hispania ultro extra ordinem data sit pactumque, ut simul foris ille, ipse Romae ad res novas consurgerent per Lambranos et Transpadanos: destitutum utriusque con-

59.) Cf. cap. 10. vit. Domit.

60.) Baehrius Domitianum ut scriptorem nusquam commemoravit.

silium morte Pisonis." Baehrius scriptoris huius nullam fecit mentionem fortasse, quia genus operum editorum ignoravit. Vossius in ea parte libri III. operis laudati, in qua de historicis incertae aetatis agitur, suspicari se fatetur M. Actorium Nasonem historicum fuisse, qui Iulii Caesaris temporibus vixerit. Equidem in aliam suspicio-em incidi. Laudatur Naso iuxta Curionem patrem, cuius orationes ut testes paullo nte laudatas videmus. Hinc colligo, cum historiae Tanusianae in praecedentibus et I. Bibuli edictorum iniecta sit mentio, Suetonium titulum scripti Nasoniani addidisse. t latere eundem suspicor in nominibus *M. Actorius:* quid si legamus „Idem Curio d et *in actionibus* Naso auctores sunt." Facile potuerunt verba IN ACTIONIBUS mutari in M. ACTORIUS. Accedit, quod nomen *Actorius,* quod sciam, alibi non reperitur. Denique cap. 52 vitae Dom. eiusdem scriptoris testimonium Suetonius ipse ita profert: „Dilexit et reginas, inter quas Eunoen, Mauram, Bogudis uxorem: cui maritoque eius plurima et immensa tribuit, ut Naso scripsit. Haec si recte disputata sunt, oratoribus, non historicis accensendus erit Naso.

Introducitur porro tanquam testis in vita Caesaris cap. 77. T. Ampius his bis: „Nec minoris impotentiae voces propalam edebat, ut T. Ampius scribit: nihil sse Rempublicam adpellationem modo sine corpore ac speciem. Sullam nescisse liteas, qui dictaturam deposuerit. Debere homines consideratius iam loqui secum ac o legibus habere, quae dicat."

Antequam de dignitate scriptoris disseramus, de nominis scriptura certum ium fieri necesse est. Unus liber manu scriptus offert *T. Ampirius,* codex Oberti apanii *T. Amplius:* codices alii *Tampius*, Palat. 1 et 2 *T. Ampius. Tampius* legi iussit Ursinus inscriptionum vestigiis ductus. At bonorum codicum lectionem *T. Ampius* retinendam opinor, cum in veterum scriptorum operibus commemorentur Titi Ampii. Sic in histor. bell. civ. libr. III. cap. 105 Iulius Caesar refert T. quendam Ampium conatum esse tollere pecunias Epheso ex Dianae fano, et Cicero in epistola ad Cn. Magnum (vid. epp. ad Attic. lib. VIII. ep. 11.) scribit se vidisse T. Ampium delectum habere diligentissime. Iam vero hunc T. Ampium Vossius pag. 225. op. l. collocavit inter historicos incertae aetatis. Contra, quoties repeto eius de Caesare Iulio verba, multo magis ex oratione vel actione quadam, quam ex opere historico petita crediderim. Tantam illa vehementiam spirant. Obiici superbiam facilius sentiес quam describi. Ceterum Ampium adversarium fuisse Iulii Caesaris innuit fragmenti allati ratio: itaque cum ille a Cicerone laudatus T. Ampius partes videatur Cn. Pompeii esse secutus, equidem Suetonii Ampium eundem esse atque illum Ciceronis opinor.

Cap. 27. vit. Octaviani nominatur *Iunius Saturninus.* Retulerat antea Suetonius Augustum in triumviratu constituendae reipublicae per decem annos administratae restitisse collegis ne qua proscriptio fieret: inceptam vero utroque exercuisse acerbius et solum magnopere contendisse, ne cui parceretur. Addit iam scriptor idem:

61.) *Appium* vel *Apium* sunt, qui legi iubeant. At codicum auctoritas videtur patrocinari scripturae ab Oudendorpio receptae *T. Ampium.*

Iunius Saturninus hoc amplius tradit: „Quum peracta proscriptione M. Lepidus in senatu excusasset praeterita et spem clementiae in posterum fecisset, quoniam satis malorum exactum esset: hunc e diverso professum, ita modum se proscribendi statuisse, ut omnia sibi reliquerit libera.“ Argumentum allati fragmenti pensitanti Vossius pag. 221. l. op. recte collegisse videtur scriptum historicum consignasse Saturninum. Fortasse usu verbi *tradit* opinio firmatur. Addo autem mihi quoque ea, quae statim initio capitis narrata sunt, ex illius scriptione ita petita videri, ut summam tantum indicaverit Tranquillus. Suspicionem talem admittunt verba *hoc amplius.* Ceterum tem etiam quae adiiciuntur verba „in cuius tamen pertinaciae poenitentiam po Iunium Philopoemenem, quod patronum suum proscriptum celasse olim diceretur stri dignitate decoravit.“ Aetas Saturnini incerta est.

Laudo iam scriptorem, cuius recentiores prorsus obliti esse videntur, Asellium Sabinum. Vixit sub finem vitae Tiberii eiusque palatum mulsisse videtur. Edidit testante Suetonio vit. Tib. cap. 42 dialogum, in quo boleti et ficedulae et ostreae et turdi certamen induxerat. Caprensi secessu quodvis oblectamentorum genus Caesar quasi civitatis oculis remotus captavit. Itaque mirationi esse non potest, quod assentatorum unus in animum induxit de iis, quae ciborum epularumve voluptatibus augendis inservirent, disserere ita, ut et praecepta exhiberentur de cibis faciendis et animi legentis iam ex lepida gaudiorum adumbratione exhilarationem caperet. Boleta autem, ficedulas, ostreas et turdos partim necessaria fuisse mensis, partim earum inter palmas constat. Suetonio non placuisse videtur Asellius Sabinus, Tiberio autem satisfecit adeo, ut auctori sestertia ducenta donaret. Opusculum ab argumenti tractatione num fuerit praedicandum an probatum Tiberio, ut vitiorum genus omne exciret, incertum est.

Profero denique in medium Hermogenem Tarsensem ut operis historici auctorem, cuius nomen item ab iniuria oblivionis asserendum sit. Recentiorum nullus, quod sciam, mentionem eius fecit. Poenam ille dedit liberioris linguae Domitiano imperanti. Haec vero de eodem apud Suetonium leguntur c. 10. Dom.: „Interemit (Domitianus) — Hermogenem Tarsensem propter quasdam in historia figuras.“ Figurae, quae . antur obliqua fuerunt dicta, convicia. Aelius Spartianus monente Casaubono in Severo scribit: „Damnabantur plerique, cur iocati essent, alii cur tacuissent, alii cur pleraque figurata dixissent, ut quod esset imperator vere nominis sui, vere Pertinax, vere Severus.“ Iam suspicari possumus Hermogenem libro quodam rerum aetatis suae statum descripsisse Domitianumque ipsum figurato affecisse morsu, cuius vel solum nomen sueviendi potestatem plenam permisit. Ipsum Domitianum lacessitum esse inde colligo, quod idem etiam librarios, qui historiam Hermogenis descripserant, cruci affigi iussit. Graece vero an latine scriptum fuerit opus, disceptari licet. Nomen scriptoris favere possit videri opinanti graeco sermone composuisse scriptum auctorem: at Suetonii relatione latine scriptum opus magis exsignari crediderim. Ap e enim *historiam* Hermogenis memoravit.
